

officiales ipsius communis tam de damnis, extorsionibus et exactionibus supradictis quam de quantitate eorum, sine aliqua exceptione juris vel facti. Ita tamen quod summa et quantitas dicte restitutionis et satisfactionis de dictis omnibus damnis, extorsionibus, et exactionibus non possit ascendere ultra quantitatem ducatorum auri decem millium. Scilicet quantum a dicta quantitate infra fuerit sine fraude dicti domini de la Scala restituere et solvere teneantur. Que quidem examinatio et determinatio fienda per comune Venetiarum seu per officiales dicti communis debeat esse facta et completa hinc ad medium annum proximum, a quo termino in antea nullus volens conqueri vel petere, postmodum audiatur. Et nihilominus de presenti incipiat fieri solutio et refectione ipsorum damnorum et exactionum et duret quamdiu fuerit integrare adimpta, per modum videlicet infrascriptum. Quod impotatur datum novum super caseo, sale, et carnibus salitis deferendis seu conducendis Veronam, Vincentiam et Parmam et ad omnes alias terras et loca dictorum de la Scala, solvente quolibet qui de predictis rebus conducere vel portare vel conduci seupportari facere voluerit, videlicet de caseo et carnibus salitis soldos decem parvulorum pro quolibet miliario. Et de sale augmentetur et exigatur datum, ultra solidum, scilicet de quolibet centenario salis Clugie libr. quatuor par. et de quolibet modio veneto salis grossi, sol. viginti par. a quolibet conductore nolente ad civitates et terras predictas. Qui denarii sic exigendi et solvendi converti et dari debeant in satisfactionem premissorum, et satisfactione completa removeatur et cesset ex toto exactio supradicta et datum et ad statum pristinum reducatur. Et si aliquis civis vel districtualis dictorum dominorum de la Scala dicere vel conqueriri voluerit quod ante guerram presentem aliquod sit ab eo exactum vel extortum per aliquos officiales venetos, contra pacta vel mores solidos, promisit dictus dominus Nicolaus Pistorinus sindicus et sindicario nomine dictorum domini ducis et communis Venetiarum restitutionem sibi fieri facere secundum pacta et dictum rationis.